

*k* triplicem habet sonum. Primus est ille ipse sonus quem habet in aliis linguis communiter, ut in kakani, *ita se habet*; akotal, *securis*; nakni, *natat*. Alius sonus est gutturalis, secundum quem pronuntiatur prima *k* in verbo kakani, *ruptum est (dicitur de chorda et similibus)*; idem sonus habet *k* in akotal, *adept*. Tertius sonus est ille quem *k* habet in nakni, *est aqua (vi è dell' acqua)*; et fortasse eodem modo sonat secundum *k* in kwilinkalka, *magnus nervus*, prout distinguitur a vocabulo kwilinkalka, *magnus columine*.

Interdum litera *k* duplicatur: sic k'kikul, *panis* et kikul, *potus eius*. Non raro putabis unum tantum *k* pronuntiandum esse, dum reapse duo pronuntiari debent alterum ab altero aliquantulum separatim.

*l* pronuntiatur ut solet a polonis, id est ora linguae adhaerente fortiter palato vel dentibus circa palatum, et propulsato aere inter linguam et palatum, ita ut aer egrediatur vel ex uno, vel ex utroque latere linguae. Communis pronuntiatio literae *l*, quae in omnibus aliis linguis locum habet, nulla est in lingua ksanka. Ne putes literam *l* aequivalere latino *tl*; sonus enim literae *l* est omnino simplex, quamvis aliquam similitudinem habeat cum *tl* latino.

Praeter sonum ordinarium, litera *l* habet alium sonum, qui difficillime percipi potest, qui fortasse est sonus aliquo modo similis illi quem habet *th* lene anglorum. Eiusmodi sono gaudet litera *l* in vocabulo *nukwilinni*, quando significat *unusquisque est*, vel *omnes sunt*; dum contra si idem vocabulum proferendo pronunties *l* modo ordinario, illud significabit *unus est*. Vocabulo *nukwilinni* utimur in Cathéchismo, ubi dicitur *unamquamque* personam divinam esse Deum; sed si non recte pronuntietur istud vocabulum, sensus erit in Deo esse *unam* tantum personam.

*m*, *n*, *p*, *s*, *t*, pronuntiantur ut communiter ab omnibus pronuntiari solent.

Placet hoc loco animadversionem facere. Characteristica *n* secundae personae regentis verbum duplicatur, ut vidimus, si sequatur vocalis. Si minus distincte illud duplex *n* pronunties, facile qui audiunt confundent secundam personam cum tertia, e. g. n'nupgani, *vidisti*, cum nupgani, *vidit*. Proinde melius est